

esse causam existentiae, secundum quam res sunt. Themistius 2. lib. de anima super text. 7. scribit esse, & unitatem accidere rebus a forma. Boetius in opusculo de unitate, & vno, sic ait (omne esse ex forma est in rebus creatis, quatenus forma est unita, & coniuncta materiae. unde philosophi illud describentes dicunt, esse est existentia formae in materia] sed ego prius dico, quid quid dicant isti magistri nihil ad me: dicunt quidem, sed ratione non probant; & si ego discipulus fuisset Aristotelis, & aliorum citatorum, sic illos explicarem, videlicet Aristoteles vocat materiam primam non ens, videlicet non compositum ex parte perfectibili, & perfectiua, sicut est mistum; mistum autem intelligit ipse pro ente ad quam entitatem faciendam, materiam habere potentiam, siue esse in potentia dicit, quod idem intelligit de forma respectu existentiae compositi, cum forma contraheret materiam ad tale esse dicitur dare existentiam rebus, videlicet talem existentiam; Themistius autem vult significare, quod cum forma esset nobilior materia, illi tribueretur principaliter unio, & esse compositi; quod idem dicit Boetius; & si aliam intelligerent, cum forma existeret, & existeret compositum, in eodem plures existentiae darentur, quod & id quod arguunt contra me, dum dico, materia prima, si daretur, futuram esse cum propria existentia, aliam fieret mistum ex ente, & non ente; id namque, quod non existit, non est ens. Concludo ergo quod si daretur in rerum natura materia prima, & forma substantialis aristotelica, illa haberet propriam existentiam ab existentia formae distinctam; atque adeo sola sine forma posset naturaliter existere.

4. Obijcies primo; materia prima non potest esse sine quantitate, & sine praesentia; ergo sine forma substantiali, cum talia a formis accipiat. respondeo, hoc argumentum solutum fuit a me in antecedenti subsectionione cum de existentia materiae sub n. 30. unde nihil addendum est, cum sit eadem obiectio; solum ergo hic dico, quod negato concursu cuiusque entitati ad producendam praesentiam, & omnem aliam suam passionem, adhuc illius conseruatio naturalis esset, quia non minus ordinatur ad unionem forma cum materia, quam materia cum forma; & hoc etiam si tale dictum impedimentum via superna foret quoad modum. & esto quod dicam, transeat antecedens, negare possum consequentiam; quia materia prima, si daretur, produceret suam quantitatem, & praesentiam per simplicem emanationem, ut di-